

4308
a.

Pro. Q. N. 269.22

Z d
2400

DE
TESTAMENTO CASPARIS PEVCERI
AVTOGRAPHO

NON ITA PRIDEM REPERTO
PAVCA DISSERVNT

ATQVE

VIRO MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO
AC DOCTISSIMO,

D O M I N O

M. CAROLO GOTTFRIED
KÜTTNERO,

SEYDENSIS HACTENVVS, NVNC PIRNENSIS
DIOECESEOS

ANTISTITI GRAVISSIMO

NOVO DE MVNERE

GRATVLANTVR

M. Io. Gottfr. Klien,
Pafst. Koenigt.

Dan. Frid. Seyfert,
Pafst. Strupp.

Adam Gottfr. Hancke,
Diac. Koenigt.

Io. Andr. Kotte,
Pafst. Gieshtüb.

Chrift. Frid. Vogel,
Pafst. Wehlenf.

Frid. Gottlob Fiedler,
Pafst. Caft. Koen.

Pirnae, Typis Schuffenhauerianis.
M. DCC. LXXXIV.



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

DOMINO

LIBRARY

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

Prof. Dr. G. G. G.
Prof. Dr. G. G. G.
Prof. Dr. G. G. G.
Prof. Dr. G. G. G.
Prof. Dr. G. G. G.

Prof. Dr. G. G. G.
Prof. Dr. G. G. G.
Prof. Dr. G. G. G.
Prof. Dr. G. G. G.
Prof. Dr. G. G. G.



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT





Crypto-Calvinismi Lutherò mortuo Saxoniam turbantis historia viros
posteritati exhibet, non minus sinceritate, quam eruditione conspi-
cios; quibus si Nicolaum Crellium, infelicem illum Saxoniae Car-
cellarium, annumeremus, attamen D. Caspar Peucerus, in Academia
Vitembergensi quondam Professor et Aulae Dresdensis Medicus, multum, ni fallimur,
eminet. Hic Melancthonis, magni illius in magno reformationis opere instrumenti,
gener, privatas fœceri opiniones secutus, multa Crypto-Calvinismi ergo passus
est, eodem fere modo, quo postea Crellius.

Quod si autem ducatur linea inter Crellium et Peucerum *παράλληλος*, hunc
tam sinceritate quam eruditione illo superiorem fuisse, nemo non cognoscat.

Crellius, quod primum est, Formula Concordiae iam confecta Librisque Sym-
bolicis publica auctoritate inserta, miras huic Formulae contrarias technas struebat,
eam amplectentes persequatur eosque aut in exilium aut in carceres pellebat:

Peucerus Formula Concordiae nondum expedita, ea quae sentiebat interrogatus
defendebat neminique secus sentienti opinionem suam obtrudebat.

Crellius intolerantiam sibi propriam adeo ad Adiphora e. g. ad Exorcismi ritum extendebat, ut hunc tumultuarius machinationibus non solum Dresdae sed etiam in provinciis Saxonice, ratione nulla id exigente, abrogare conaretur:

Peucerus autem ea tantum carpebat, quae in dogmaticis conscientiae suae repugnare videbantur.

Crellio decem per annos in Castello Koenigsteineni* detento eruditio quidem, qua Icto, non est deneganda et interdum, se seductum esse, sincere confitebatur; eandem tamen neque sinceritatem nec eruditionem praebuit in colloquiis, quae cum Theologis in carcere habuit, teste Concione Funebris D. Nicolai Crellii a Nic. Blumio, Pastore Dohneni Ao. 1601 edita:

Peucerus autem duodecim per annos Rochlicii, Cicii et Lipsiae inclusus mirabili sibi infelice *παρρησία* ac eruditione non mediocri theses suas, ut Historia Carcerum testatur, strenue defendebat: Quorum omnium exitus, si parallela producamus, non minus notati dignus videtur.

Crellius enim non a iudiciis Saxonice sed Bohemice damnatus praevagationum suarum poenas, decollatus tandem, pependit:

Peucerus autem, diu multumque fatigatus, conscientiae, quamvis erroneae, insistentis, ab ipso Electore Augusto liberatus, carceribus tandem exiit; quae omnia tamen, non tanquam ad defendendum, sed ad excusandum quodammodo Peucerum scripta, lector benevolus benevole explicare dignetur.

Eiusdem Peuceri ultima voluntas, Historiae Carcerum statim ab initio inserta, clarum, ut nos quidem censemus, de sinceritate Peuceri testimonium exhibet. Ille morti proximus tanto cum ardore, tanta divinis placitis praestita submissione tantoque erga posteros amore scribit et loquitur, ut suspicio, eum aliquid conscientiae contrarium scripsisse aut locutum esse, vix locum reperire videatur.

Huius

* In Castello Koenigsteineni etiam extat turris antiqua, quae a Crellio ibi constructa vocatur Crellenburg, vulgo Grillenburg.

Huius Testamenti Autographon a Peucero ipso ipsis in carceribus literis conceptum, a generosa gente Pabli-Obainiana, contenta eius ignorante, tanquam vetus quoddam Mscriptum hucusque servatum, orbem literarium, quantum scimus, latuit haecenus et non ita pridem repertum huius dissertationis auctori dono datum est; cuius formam exteriorem interioremque conditionem paucis describemus.


Qua occasione hoc Autographon pervenerit ad illam familiam, id apparet e relatione Peuceri in Historia Carcerum, Tiguri 1615 a Pezelio edita, pag. 242 et 285 ubi legitur: Paulum Papam, Consulem Misenensem, subornatum ab aula, Ao. MDLXXV venisse Rochlicium collocutumque esse cum Peucero in custodia asservato, quo tempore Peucerus iam conscripsit fortasse potiore Testamenti partem, cuius Mscripti Paulum Papam, gentis Pabstianae adhuc florentis tritavum, Peucero aut sciente aut nesciente, tunc positum esse, verisimile est.

Quia atramenti et chartae scriptoriae usus Peucero non erat concessus, ipse loc. cit. pag. 363 narrat, se confecisse atramentum ex cremata in cinerem crusta panis fornacisque fuligine, chartas autem suggestisse margines librorum. Sic etiam Mscriptum nostrum constat ex tribus formae octavae chartulis, per literas A. B. C. combinatis et, uti coniicimus, non a Peucero, sed ab alio quodam posthac conglutinatis. Literae ipsae ratione ductus ita sunt comparatae, ut facillimo legi possint negotio, ratione coloris autem multis in locis admodum pallent.

Quod ad interiorem conditionem attinet, ea quae loc. cit. publici iuris facta sunt, cum Mscripto congruunt in omnibus, ita tamen, ut in Autographo deleta quaedam, quaedam modo interlineari superscripta existant; e. g.

Verba pag. 2 Testamenti: „tanquam singulare et atrox scelus“, item pag. 3 „inclementius quam antea“, et ibidem paullo post: „et libera“, Peucerus super-scriptis textuique clausulis annexit.

Loco verborum pag. 3 extantium: „quae multo quam prior deterior fuit in omnibus: praefectus enim me pavit pene non ut hominem, aut certe ut abiectissimum hominem. Sed ignosco omnibus ex animo.“ prior contextus ita se ha-



habuit: „non admodum melioris nullo, sed quae hoc tamen habuit commodi, quod calidioribus mihi frui cibus contigit,“ quae verba autem Peucerus postea delavit multo cum studio, ita ut literarum characteres non aliter quam difficulter elici et instaurari poterint, sine dubio eam ob causam, quod veritus est Peucerus, ne inimici etiam hoc commodum calidiorum ciborum ipsi eripere conarentur, aut ne haec lenitas Praefecto, cuius mentionem fecerat, fieret perniciofa, unde cum potius in verbis superscriptis duritiae accusandum censuit.

Pag. 5 post verba: „omnibus diebus vitae meae Amen,“ in Autographo ita subscripsit:

Haec ē voluntas mea Caspar
Peucerus D. manu propria scripsi.

Verba pag. 7 „cum mea dulcissima coniuge, socero dilectissimo, avo vestro,“ Mscripto nostro desunt, quia tunc coniux Peuceri sine dubio adhuc in vivis fuit.

Verbis pag. 8 „aspiciam et celebrem. Amen,“ finitur Mscriptum, additis his quatuor verbis vix discernendis: „Tuum adventum quaero. Amen,“ In tergo denique unius chartulae leguntur verba: „Testamentum meum,“ et insuper duo annotata recentius scripta: Quorum omnium *ἀποψία* Mscriptorum rariorum curiosis lubenter concedemus.



Quod

Quod autem Tibi, Vir Maxime Reverende, dedicemus has qualescunque annotationes super Peucero eiusque Testamento exaratas, causa in promptu est: Tibi enim sub auspiciis Dei omnipotentis Serenissimique Saxoniae Electoris traditum est hoc idem munus gravissimum, quo ante duo abhinc secula fungebatur Cademannus, strenuus ille veritatis Evangelicae Zelotes, qui una cum L. huius Dioeceseos Symmysis ad pedes Electoris Christiani primi procidens supplex efficiebat, ut technae Crellianae fierent irritae et in salvo maneret libertas Christiana; cuius vestigia sedulo secuturum, veritatem coelitus missam ingenue confessorum, sanctae religionis causam optimam optime defensurum Te, Vir Maxime Reverende, non expectamus, sed habemus, et, quod habeamus, lactamur.

Lactamur, inquam, Te consortio nostro uno abhinc anno ereptum nunc nobis restitutum esse, immo pro meritis Tuis supra nos constitutum, ita ut nobis non solum concessum sit, sed etiam mandatum, ad ingenii Tui dexteritatem atque sinceritatem, ad experientiam probatamque eruditionem Antistitis Gravissimi quandocunque confugere.

Lactantur Gnati optimae spei, tenerae illae plantulae in regiones a teneris annis sibi notas nunc iterum transponendae, quas gratia divina conservet, ut vigeant, floreant fructusque tandem ferant uberrimos.

Lactatur Coniux Tua dulcissima dulce natale solum, patrios avitaeque focos revisens, quae ab Archi-Diacono Buschio patre, a Rectore Wernero avo, a Superattendente Reicherto et Consule Wernero atavis oriunda, nunc ipsa in patria Mariti Spectatissimi honores participatura, eo maiore cum gaudio in patriam revert — — — eheu! iam satis est — —

Spes cecidit, cecidit floris iam more caduci!

Flor

2400 X 2943868

Flos foeminarum in flore actatis Deo iubente decidit et nos gratula
lundi, nunc audito mortis nuncio lugemus, humanarum rerum vicissitudines
Tecum deplorantes. Laetatur tamen Coniux clarificata; laetatur locus
terrenae patriae patriam coelestem adepta participatque honores supramunda-
nos coram folio Dei et Agni.


Te autem, Vir Maxime Reverende, acerbissima sorte afflictum Deur.
Ter Optimus Maximus maximis in posterum collocandis in Te beneficiis eri-
gat; vulneribus Tuis asperrimis medeatur; orbam matre prolem suscipiat
is, qui se, matris instar, derelictos omnes consolaturum esse, ipse pollicitus est;
Teque Tuosque per magnam annorum seriem secpites incolumesque con-
servet, ad votum omnium observantissimorum Nominis Tui cultorum, qui-
bus et nos ut annumerare digneris, enixe precamur.



VD18

mc





4308
a.

Inv. Q. 11-267-27

Z d
2400

DE
TESTAMENTO CASPARIS PEVCERI
AVTOGRAPHO
NON ITA PRIDEM REPERTO
PAVCA DISSERVNT
ATQVE
VIRO MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO
AC DOCTISSIMO,
D O M I N O
M. CAROLO GOTTFRIED
KÜTTNERO,

SEYDENSIS HACTENVVS, NVNC PIRNENSIS
DIOECESEOS

ANTISTITI GRAVISSIMO
NOVO DE MVNERE
GRATVLANTVR

M. Io. Gottfr. Klien,
Pact. Koenigst.

Adam Gottfr. Hancke,
Diac. Koenigst.

Christ. Frid. Vogel,
Pact. Wehlenf.

Dan. Frid. Seyfert,
Pact. Strupp.

Io. Andr. Kotte,
Pact. Gieshtib.

Frid. Gottlob Fiedler,
Pact. Caft. Koen.

Pirnae, Typis Schuffenhauerianis.
M. DCC. LXXXIV.

